

ret materia opus suum, sed conantur ad impossibilia in materijs: ac si de eane crederent hominem generare. Quid mirum ergo si reddant in operibus mendaces? Nam lapide, & vnde noto in Practica operis dubia subtilissima multa restant: verè autem credatis, quòd in libris suis posuerunt Philosophi veritatem. Sed post mortem scribentes cuiuslibet scripta eius, quando est ab aliquibus malè intellecta: quod tamè ipse si præsens esset, & speculatiuè exponeretur iuxta verbum, verificaret opera per effectum. Ego autem vestræ prudentiæ per omnia exposui totum opus: & per dicta Philosophorū aliqua approbaui, licet pauca curauim allegare, quod ex causa omisi: quoniam præsumo, quòd vos scripta Philosophorum omnia in scrinio vestri pectoris inclusistis. Et sic non dubito, quòd dictis meis ea omnia applicaueritis per vos ipsum: sicut ego per experientiam quam vidi, scripta sapientum intelligo, aliàs non noturus. Et si circa hoc breuiloquio breuis fui: hoc ideo. Nam in vobis tantum præsumo scire fundamentum, quod vobis non latebit intentio huius rei. Et sufficit mihi, quòd vobis soli meus patet intellectus, & non mecum migrare queat huiusmodi veritas ab hac luce. Ob paternitatis vestræ reuerentiam, Nouum hoc Lumen edidi super ea: quoniam inter Mundi ceteros vos elegi hac re meo iudicio digniorem, & Altissimus faciat vos peruenire ad optatum.

Explicit Nouum Lumen.

Incipit perfectum Magisterium, & Gaudium magistri Arnaldi de Villa noua, transmissum per eum ad inclytum Regem Aragonum, quod quidem est, Flos Florum, Thesaurus omnium incomparabilis & Margarita: in quo reperitur veri compositio Elixir, tam album quàm ad rubrum componendum, videlicet ad Solem & Lunam sub compendio declaratum.

SCias, charissime, quòd in omni re quæ sub coelo est, creata sunt quatuor elementa, non per visum, sed per virtutem. Vnde Philosophi sub velamine